Historia Hungariae

Ecchii Valentini: Ad inclytum Hungariae et Bohemiae Regem etc. D. Ferdinandum Epistola, nomine partium superiorum Hungariae etc.

Hier. Victor excudebat Viennae Austriae anno domini 1530.

AD INCLYTVM HVNGARIAE & Bohemiæ Regem &c. Archiducem Austriæ &c. Dominum FERDINANDVM, Epistola, nomine partium superiorum Hungariæ.

Valentino Ecchio Lendano Autore,

Alia eiusdem Epistola, Ad Magnificum D. Alexium Thurzonem, Regiæ Curiæ Iudicem.

Hieronymus Vietor excudebat Viennæ Austriæ. Anno domini M.D.XXX.

Ad Inclytum Regem Hungariæ & Bohemiæ &c.
Archiducem Austriæ &c. D. FERDINAN
DVM &c. D. suum Clementissimum. Epistola,
Nomine partium Superiorum Hungariæ, præsertim
Ciuitatum, Caszha, Leutszha, Bartpha,
Epperies, Czeben & Kesmarck &c. scri-
pta die XIII Nouemb. Anno
M.D.XXVIIII. Au-
tore Val. Ec. Iudcie
Bartphen.

Has tibi, fida tui, Rex inclyte, portio Regni
Sarmatico coelo proxima mitto notas.
Illa inquam uarijs quam tristi factio Marte
Reddidit afflictam zapolitana modis.
Nil equidem de te implicito maioribus ausim
Ipsa queri innumeris exagitata malis.
Maius opus, Rex magne, moues respublica Christi
Imposita es humeris, sarcina magna, tuis.

Hanc nisi sustineas pessundata corruet omnis,
Imminet exitio tanta ruina suo.
Thurca ferox totum ferme hoc miserabile Regnum,
Vi, flamma, & ferro, perdidit ecce tuum,
Quin & in Austriacos ausus sæuire penates,
Impetere & muros clara Vienna tuos.
Impius, hac capta, secum decreuerat, omne
Christigenum toto perdere in orbe genus.
At deus ex alto gemitus & uota suorum
Respiciens, gratam contulit almus opem,
Victus ab Austriaco, duce te, propellitur orbe
Thurca, o quam merita clade cruentus abit.
Rumpe moras, sæui fugientia terga tyranni
Vade preme, innocui sanguinis ultor ouans.
Nec patere elabi uictos, insiste fugatis,
Et tere relliquias uindice cede feras.
Non trucibus properantis equi fuga concita prosit,
Per uada Danubij nec remeanda ratis.

Effice prostratus, robur superabile nunquam
Germanis discat sæuus inesse uiris.
Effice & ut longe Phryxi trans æquora pulsus
Non temere posthac huc rediturus eat.
Atq; hijs ex uoto rebus feliciter actis,
Inclyte Rex tandem sis memor oro mei.
Ipsa quidem iaceo multis exposta periclis,
Nec uideo quo sit uita tuenda modo.
Hostis ubiq; instat, nec quenquam credere fidum
Ausim extra has urbes Rex generose tibi.
Hic alij Thurcæ sunt, monstra domestica, foede
Cœperunt patriam qui temerare fidem.
Qui Phrygiis canibus sociali fœdere iuncti,
Militiam Christi deseruere ducis.
Hæcq; illis potior, stolidis sententia uisa est,
Quam uero domino subdere colla tibi.
Nonne hæc omnipotens deus olim cuncta requiret?
Pensurus factis præmia digna suis?

Atq; ea proscindit passim me perfida turba,
Semper in exitium dira parata meum.
Verum, hucusq; omnem superaui utrunq; ruinam,
Nescia sed quo sim tuta futura modo.
Sum quippe, heu, bello nimium contrita perhenni
Viribus in totum debilitata meis.
Quicquid opum fuerat, quo meq; fidemq; tuerer,
In uarios usus fida ministra tuli.
Vt cum priuatis æraria publica cistis
Vndiq; sint nummis euacuata suis.
Nec quenquam uideo quo quo me uerto meorum
Qui non pauperiem nunc patiatur inops.
Quippe meas quascunq; habui foris, impius omni
Parte inhians miseras abstulit hostis opes.
Quæq; domi fuerant conductus miles adedit,
Sic passim rebus sum spoliata meis.
Atq; ita nunc iaceo magnis obnoxia curis,
Hostiles inter tristis inopsq; manus.

Et mecum ammissas, damnum irreparabile, gazas
Lugeo, de uita non bene certa mihi.
Tanti mi obsequium, tanti obseruantia constat,
Et tanti per me non uiolata fides.
Non tamen huc rerum miseram me pœnitet actam,
Dum fidei clemens sis memor ipse meæ,
Atq; pius tandem me tot tantisq; periclis
Durius afflictam fortiter eripias.
Quod citus ut facias tua te per pignora, Reges
Quos mihi fida fouet Teutona terra, precor.
Atq; per hanc nunquam tanto in discrimine rerum
In dubium adductam supplico prona fidem.
Plura tibi immensa curarum mole grauato
Scribere nunc cesso, Rex generose Vale.

FINIS.

AD MAGNIFICVM DOMINVM ALEXIVM Thurzonem, Regiæ Curiæ Iudicem &c. Epistola, ab eodem Ecchio, Anno Do. M. D. XXVIII. die secunda Decembris scripita.

Quam licet afflictis rebus sperare salutem
Ipse tibi ex animo Thurzo benigne precor.
Forte rogas iterum quæ nos fortuna fatiget,
Vexatos toties, turbo quis ater agat:
Mille tibi tristes casus, & mille dolores,
Thurzo licet multis ipse referre queam.
E multis tamen expediam paucissima, nollem
Carmine te incompto detinuisse diu.
Nulla foris pax, nulla domi, foris errat in armis
Mars ferus, ast intra mœnia tetra lues.
Quoquo oculos uersum tendas, lachrymare libebit,
Tam misera hic facies undiq; rebus inest.

Illa lues dudum in castris bacchata, latenter
Huc repsit, nostrum putris in excidium.
Nulli sæua quidem parcit, discrimine nullo
Turba ruunt iuuenum, turba ruuntq; senum.
Mira loquar, uehemens homines dolor occupat, ægrum
In primisq; caput dira grauedo premit.
Plumbea dehinc fiunt affecto corpore membra
Vescendiq; procul omnis orexis abit.
Pulmonem exagitat tussis, cerebrumq; phrenesis,
Et stomachum uomitus, cor salit, ossa tremunt.
Arescunt fauces, sitit os, calet undiq; corpus,
Aethneo dicas uiscera in igne coqui.
Hinc coit infectus cruor undiq;, putrida collo
Aut alibi informi tubera labe tument.
Quæ postquam flectunt uestigia tabida uersus
Cor, cerebrum uel epar, uulnera mortis agunt.
Nec medicina iuuat quenquam, sed & ipsa medentes
Plærumq; incautos pestis acerba necat.

B

Quanto etenim propior, quantoq; frequentius agro
Quisq; astat, tanto læditur hic citius.
Afflatu, tactuq; leui, contagia serpunt,
Et nihil est quod non deuoret acre malum.
Nec minus aduerso torquet nos turbine bellum,
Quod Lupus hys miscet zapolitanus agris.
Illum crudelem nobis Arctoa remisit
Sarmatia, Hungarico proxima terra solo.
Sexta Nouembrales aderat lux ante Calendas,
Fulgebatq; suo, Cynthia plena globo.
Quando Poloninis frendens egressus ab oris
Per nemora occultum deuia carpit iter.
Intrat & immemoris fidei loca nota tyranni
Hammona qua solo nomine magna iacet.
Hic sæuum feritate Lupum fera factio gaudens
Excipit, hic opibus consilioq; iuuat.
Sic ferus arrectus subito piscosa Tibisci
Flumina non multo milite transit, abit.

Et Dobricenos ciues, durosq; colonos,
Atq; alios passim cogit in arma uiros.
Queis, pariter populis nuper regione Polona
Adductis, nostros est aditurus agros.
Iamq; adit, hæc etenim dum scribo, en nuncius intrat
Qui rapidum iamiam clamat adesse Lupum.
Dumq; repentinum aduentum miramur, is inquit,
Credite, iuro deum, proximat ille ferus.
Vera loquor, uidi hys oculis, ait, oppida circum
Varano & Therebes, castra locare trucem.
Atq; illinc, subito, quæ fama est maxima ubiq;,
Impius in nostros est ruiturus agros.
Et faciet, certumq; malum, certumq; periclum,
Inferat ad tutum ciuibus innocuis.
Et faciet, nisi docta cohors certare sarissis,
Certare & conto Teutona turba uetet.
Hæc, arma ut propere ferat auxiliaria nobis,
Effice apud Regni Thurzo precor dominum.

Sic etenim, in Regem, sacram Regniq́ coronam,
Promeruit semper praestita nostra fides.
Seruitia an quisquam usquam nescit nostra fidemq́
Hactenus obsequio non caruisse suo.
An nondum satis est miseros iam tempore longo
Perpessos uarijs tristia damna modis.
An uelut extinctos quisquam nos protinus omnes,
Vt pereant, quorum res perdita perijt.
Dij prohibete nephas, potius succurrite fessis,
Vobiscum ut uideant regna beata magis.
Quæ tranquilla deus faciat precor atq́ secunda,
Optata ut liceat prosperitate frui.
Hoc ut contingat nobis semel omnibus, istud
Vt tibi priuatim Thurzo benigne, precor.
Iucunda coniunx faciat te prole parentem,
Quum peraget cursum luna nouena suum,
Vt sit qui uultu referat uos, certus & hæres
Succedat patrijs lege fauente bonis.

Hoc precor impense, iustis deus annue uotis,
Cui seruit decimi regia celsa poli.

FINIS.

De Formosissima atq́ pudicissima domina
Magdalena, domini Thurzonis
coniuge, Idem Ecchius.

Iuno, Minerua, Venus, Phrygia certamen in Ida,
Suscepere, decus frontis ob eximium.
Obtinuit palmam Cypris, Thurzea quod non
Magdalena illo tunc erat in numero.
Quippe hanc uidisset si Troius arbiter, ohe
Cedite, dixisset, Iuno, Minerua, Venus.

Ad eundem dominum
Thurzonem. Ecchius.

Auspice te pendi certos mihi iussit in annos
Aureolos, Princeps, optime Thurzo, aliquot.
Regia nil dubito, semper stat firma uoluntas,
At mihi nescio cur pensio nulla datur?
Thurzo precor patrone faue, quo Regia tandem
Te duce proueniat pensio, grata mihi.
Sic tibi pro uoto ueniant felicia quæque
Nec te unquam grauius sors inimica premat.

Marti militans. Musas
ablegat Ecchius.

Quid mihi cum Musis, quem Martia bella fatigant?
Nympharum Aonidum cedite turba procul.
Non satis est curare domi bona publica, sacrum
Ius dictare bonis, plectere lege reos.
Trudor & in bellum, iubeor statione morari,
Sorte agere excubias, conseruisse manus.
Ergo deæ procul hinc Parnassides ite, mouentur
Arma mihi. Marti cedite Pyerides.
Finis.

2.